

# Römische Beiträge zur Korrespondenz des Herzogs Wilhelm V. von Bayern aus den Jahren 1593—1594.

Von Dr. JOSEF SCHWEIZER.

(Fortsetzung.)

## Urkunden.

1 (39). *Hzg. Wilhelm an (Kardinal) C. Aldobrandino: Der Herzog äussert seine Absicht bei Sendung seiner geistlichen Söhne nach Rom, verspricht Erkenntlichkeit und beglaubigt Minucci. München, Januar 14, 1593.*

Archiv. Vat., Borgh. III 88<sup>c</sup> f. 20 Original. — München, Reichsarch., Fürstens. 436<sup>1/3</sup>  
Konzept mit Datum vom 12.

Ill<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> domine. Gaudium, quod literis declarat suis Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. propter adventum filiorum nostrorum ad urbem, eo libentius intelleximus, quo magis semper desideravimus Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. eosdem esse commendatissimos. Fatemur equidem libenter praecipuam hanc fuisse causam mittendi praedictos charissimos natos ad pedes S<sup>mi</sup> D. N., ut, quandoquidem Dei omnipotentis et ecclesiae suae sanctae catholicae servitiis illos consecravimus totos, in S<sup>te</sup> S., generali universalis ecclesiae rectore, ceu vero et vivo omnis pietatis, sanctitatis, iustitiae ac virtutum omnium speculo contemplarentur indeque discerent ea, quae olim utrique ad munus suum bene et cum laude obeundum sufficere possent. Id vero maxime fiet, si Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V., quemadmodum literis suis pollicetur neque nos dubitamus, propensa sua et obse-(20<sup>v</sup>)quenti voluntate ipsos filios nostros complecti ac eosdem S. S<sup>tis</sup> paterno pectori omnino inserere voluerit. Et sic tales aliquando erunt, quales ut sint, et nos vehementer optamus et Ill<sup>ma</sup> ac R<sup>ma</sup> D. V. gratulatur. Nos vero pro illo amore, benevolentia, obsequio, quae filiis nostris promittit et exhibet, mutuum <sup>a)</sup> amorem, benevolentiam et obsequia pollicemur nunc et deinceps quavis oblata occa-

a) Cod.: mutuam.



sione ipso opere praestabimus. Id quod certo sibi de nobis polliceatur Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. testabiturque de nobis admodum Rev. D. Minutius, cuius tam honorificam fieri mentionem libenter audivimus et plane dignum iudicamus, quin a S. Ste, ab Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. et a bonis omnibus diligatur. Valeat Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. Datum ex civitate nostra Monachio die 14. Ianuarii anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

studiosissimus

Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmus (mppr.)

M. Haimelig.

2 (40). *Hzg. Wilhelm an Nuntius Malaspina in Polen: Antwort auf das Schreiben des Adressaten über seine Ankunft und das Verhältnis von König und Kanzler in Polen sowie auf die Anfrage nach dem Aufenthaltsort des Kardinals Bathory etc. München, Januar 14, 1593.*

Archiv. Vat., Borgh. III 88<sup>c</sup> f. 19 Original mit eigenh. P. S.

Admodum Ill<sup>ris</sup> et R<sup>me</sup> domine. Quae R<sup>ma</sup> D. V. de incolumi suo in Poloniam adventu de paceque inter regem et cancellarium a se ex sententia confecta 29. mensis Octobris ad nos scripsit, ea sane longe gratissima nobis acciderunt hisque nominibus R<sup>mae</sup> D. V. ipsique regi ac regno ex animo etiam atque etiam gratulamur. Gratias quoque R<sup>mae</sup> D. V. agimus tam de memoria, quam nostri retinet, quam de benevola officiorum delatione eidemque studia nostra paratissima sincere ac perpetuo deferimus. Ubi locorum nunc temporis agat Ill<sup>mus</sup> cardinalis Battorius, ignoramus, incerti aequae, num litteras, quibus Ill<sup>mam</sup> D. S. de fratris obitu consolati sumus, acceperit. Quapropter si occasio se dederit, qua R<sup>ma</sup> D. V. officium hoc nostris verbis vel coram vel per litteras denuo praestare simulque servitia nostra Ill<sup>mae</sup> D. S. deferre queat, rem nobis quam maxime gratam faciet et acceptam. Deus opt. max. R<sup>mam</sup> D. V. omni foelicitate cumulet. Datae Monachii die 14. Ianuarii anno sal 1593.

Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, Bavariae utriusque dux.

Ill<sup>me</sup> domine, I. D. V. non gravabitur osculari manus Ser<sup>mi</sup> domini regis et reginae meo nomine et expecto intelligere grata nova de illorum regiis dignitatibus per meam sororem archiducissam, quam cras hic Deo dante excipiam cum suis <sup>a)</sup> prolibus, ubi varia nostra tractabimus.

I. D. V. addictissimus semper

Guilhelmus.

a) *Zweifelhafte Lesart.*



3 (41). *Hzg. Wilhelm an (Kardinal) C. Aldobrandino: Dank und Freude über die gute Aufnahme der Prinzen. Wegen Berchtesgadener und anderer Fälle erhält Speer Weisungen. München, Januar 22, 1593.*

Ebd. f. 22 Original (eigh.).

Ill<sup>re</sup> et R<sup>re</sup> domine. Satis contestata fuerat Ill<sup>ma</sup> D. V. prioribus suis litteris animum illum, quo sibi me, meos filios et totam familiam meam suscepit colendam, ita ut alio testimonio opus non esset <sup>a)</sup>. Supervenerunt autem posteriores prioribus minime inferiores et propterea cum magna consolatione mea illas accepi. Confirmant quoque filii mei per literas ea, quae iam diu nil dubitando sensi et palpavi. Ago igitur gratias Ill<sup>mae</sup> D. V. immortales, quod me et meos ita amore et honore prosequitur. Ego vicissim, quicquid mutuae benevolentiae in me unquam desiderari poterit, non tantum offero libenter, sed de his Ill<sup>mm</sup> plane certum esse volo. Quae de adversa valetudine S. S<sup>is</sup> scribit, permoleste tuli, sed dubium non est, quin benignissimus Deus S. S. ecclesiae suae quam diutissime conservabit.

Negotium Berchtesgadense I. D. V. commendatissimum scio, scribo autem de his et aliis meo secretario Sperio. Filios meos Ill<sup>ma</sup> D. V. (22 v) S<sup>ti</sup> S. commendare et, ut sua sancta et solita clementia illos prosequi velit, promovere dignetur. I. D. V. pro suis amicissimis officii omnia grata et accepta offero. Monachii 22. Ianuarii anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

studiosissimus

Guilhelmus.

4 (42). *Derselbe an denselben: Recepisse des Schreibens vom 13. Januar. Einsendung der Berchtesgadener Akten durch Portia. Forderung, den Fall nicht auf dem ordentlichen Weg der Rota entscheiden zu lassen. München, Februar 6, 1593.*

Ebd. f. 28 Original.

Ill<sup>re</sup> et R<sup>re</sup> Domine. Accedunt ad priora Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. erga nos observantiae, studii et propensionis' testimonia literae illae posteriores 13. die mensis proxime praeteriti consignatae, quae tanto nobis obtigerunt acceptiores, quanto praeclariora et certiora de Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. experientia edocti nobis persuademus.

Porro transmittit S<sup>mi</sup> D. N. nuncius admodum Ill<sup>ris</sup> et R<sup>mus</sup> comes de Porcia probationes et scripta in negotio Berchtesgadensi hactenus ab utraque parte exhibita. Rogamus autem Ill<sup>mam</sup> et R<sup>mam</sup> D. V., ut diligentem operam dare velit et, quemadmodum speramus, efficere, ne causa illa ad Rotam devolvatur ac hoc pacto deinceps ad plurimos protrahatur annos, sed ut S. S<sup>tas</sup>, quemadmodum antehac nos bene

a) Cod.: erat.



sperare iussit, neque dubium nobis ullum facimus, sepositis omnibus ac non ulterius attentis aut quaesitis benignae compositionis vel concordiae mediis, summarie et de plano cognoscat, et quid iuris sit, per sententiam seu decretum manifestum reddat. Qua de re ipsi S<sup>ti</sup> S. etiam humillime perscribimus et speramus postulationem hanc nostram iuri et aequitati necnon S<sup>tis</sup> S. promissioni nobis pridem factae convenientem, causae vero praesenti peraccommodam locum facile habituram. Ill<sup>ma</sup> vero et R<sup>ma</sup> D. V. certo sibi proponat, quicquid secundum desiderium nostrum hac in (28 v) parte effecerit, id nobis gratissimum fore et benevolentiam nostram sibi vicissim ad omnia paratam existere. Valeat feliciter Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. Datum ex civitate nostra Monachio die 6. Februarii anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

studiosissimus

Guilielmus, Dei gratia comes Palatinus Rheni,  
utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmus (mppr.).

Gewaldus.

5 (43). *Hzg. Wilhelm an Papst Klemens VIII.: Die Rückkehr der Prinzen nach Ostern war von Anfang an beschlossene Sache, soll aber nicht wohl ohne Zustimmung des Papstes geschehen. Ihr Bruder Maximilian wird nach Rom kommen; es wäre aber die vorausgehende Erledigung des Berchtesgadener Streites und die Rückkehr Speers sehr erwünscht. München, Februar 22, 1593.*

Ebd. f. 3r Original.

Beatissime in Christo Pater etc. Tam crebro apud me hactenus praedicarunt carissimi filii mei S<sup>tis</sup> V. prorsus singularem vereque paternam erga se benignitatem, ut fatear me S<sup>ti</sup> V. eo nomine in perpetuum esse obligatum. Etsi vero eosdem filios meos cum propter hanc S<sup>tis</sup> V. in ipsos amorem, tum quod non ignoro, quantum pietatis et reliquarum virtutum ex S<sup>te</sup> V. praesentes perdiscere possent, quamque deceret, ut eidem S<sup>ti</sup> V. diutius servirent, adhuc per longum tempus cuperem in Urbe relinquere, sunt tamen quaedam rationabiles et graves causae, cur eos (quemadmodum ab initio quoque statueram) ante proximam aestatem, paucis scilicet diebus post Pascha, in Germaniam redire velim. Quod tamen cum sine S<sup>tis</sup> V. (cui eos totos tradidi traditosque et commendatos perpetuo esse cupio) consensu facere non debeam, ei humillime supplico, ut propositum hoc meum suo paterno nutu adprobet eosdemque filios absentes non minus quam praesentes sibi vere diligendos esse statuatur.

Caeterum facultatem a me impetravit Maximilianus, filius meus natus maximus, religionis causa Lauretum planeque Romam ad S<sup>tis</sup> V. pedes excurrendi. Habebit secum paucissimos homines et pene nullibi



nomen ac personam suam profitebitur. Dabit se (31<sup>v</sup>) in viam circa medium mensis Martii, ut ante hebdomadam sanctam istic sit. Non credat vero S<sup>tas</sup> V., quam multis nominibus gratum mihi esset, ut Sperius filio huic obuius fieret in Germania ad certiozem eum faciendum de variis rebus, et quantopere desiderem videre finem molestiarum causae Berchtesgadensis. Habui hactenus patientiam, quia S<sup>tas</sup> V. ita mandavit, sed vix possum aut debeo amplius, et spero S<sup>tem</sup> V. debere iam tandem cum patientia illa mea compassionem habere. Oro igitur, cum quanta possum humilitate et diligentia, ut causam hanc sine ulla longiori dilatione expediat, et Sperium omnino dimittat. Hoc erit mihi plane singulari solatio et gaudio. Deum precor, ut S<sup>tem</sup> V. quam diutissime servet incolumem. Datum Monachii die 22. Februarii anno 1593.

S<sup>is</sup> V. obsequentissimus et devotissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.)

6 (44). *Hzg. Wilhelm an (Kardinal) C. Aldobrandino: Eingehendere Motivierung der Zurückberufung der Prinzen und Bitte, auf eine Umstimmung des Papstes hinzuarbeiten. München, April 12, 1593.*

Ebd. f. 51f. Original.

Ill<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Domine. In recenti sine dubio memoria adhuc habet Ill<sup>na</sup> et R<sup>ma</sup> D. V., quod de avocatione filiorum nostrorum ecclesiastici status ex Urbe superiori mense ad eandem scripsimus, quando etiam non intermisimus S<sup>mo</sup> D. N. causas huius instituti nostri, quemadmodum existimamus, gravissimas humiliter detegere, easque tales, quas S. S<sup>tem</sup> non improbaturam speramus. Plurimum autem nos movit praeter commemoratas istas rationes adhuc aliud non minoris momenti, quod Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. hac vice aperire necessarium visum fuit, id est, quod nobis consuluerunt nonnulli propinqui et amici nostri, ut filios nostros eo citius revocare vellemus, cum uterque eo aetatis iam pertingat, ut ad quamvis emergentem occasionem ad cathedrales ecclesias (51<sup>v</sup>) et maiores dignitates imperii evehi possent. Ex quo igitur se offerunt saepe occasiones, consultum potius putatur, ut in propinquo sint et quodammodo in oculis et recenti capitularium memoria, quam quod longius absint. Facile enim tunc a filiis nostris abalienarentur isti, qui votis suis et suffragiis vel prodesse possunt vel obesse. Quamvis autem plane non dubitamus de S. S<sup>is</sup> erga filios nostros paterna voluntate, et quod S. S<sup>as</sup> ipsis filiis nostris sufficienter providere possit, atque adeo ob id ipsum, ne S. S<sup>tas</sup> iudicet ea de re nos dubitare, hanc praefatam causam nuper allegare noluerimus, attamen necessarium pariter et consultum duximus consilio et monitis propinquorum et amicorum nostrorum hoc tempore aurem adhibere. Et quia desideramus hoc ipsum, (52<sup>r</sup>) quod Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. modo expo-



suumus, S<sup>i</sup> quoque S. planum et perspectum esse, ideo maiorem in modum rogamus, ut Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. hunc laborem nostro nomine in se recipere et haec omnia S. S<sup>i</sup> fideliter enarrare et dextere insinuare atque simul filios nostros S. S<sup>tis</sup> pietati paternae commendatissimos efficere velit, ne S<sup>tas</sup> S. in eam descendat sententiam, quasi vero Germanicos episcopatus iis gratis et beneficiis, quas S. B. filiis nostris impertiri potest, quovis modo praeferamus. Scit enim ipsamet, quanti intersit Germaniae nostrae catholicos habere antistites, et quod salus publica totius imperii hac in re vel potissimum versari videatur. Caeterum non dubitamus de Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> (52 v) D. V. industria atque prudentia, eidemque vicissim omnia promptissimi et paratissimi animi officia deferimus. Valeat foeliciter Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. Datum ex civitate nostra Monachio die 12. mensis Aprilis anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>nis</sup> V.

studiosissimus

Guilhelmus Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmus (mppr.).

Geewaldius.

7 (45). *Hzg. Wilhelm an Papst Klemens VIII: Der römische Aufenthalt ist den Prinzen sichtlich zustatten gekommen. Sie sind des Lobes und Dankes voll. So auch der Herzog, besonders wegen Verleihung der Berchtesgadener Koadjutorie. Gesuch um Sentenz der Exemption und deren Promulgation. Dank für ein Geschenk. München, Juni 18, 1593.*

Ebd. f. 62, 69 Original (eigh.).

Beatissime pater etc. Incolumes ad me per Dei gratiam redierunt filii mei, qui tales (quantum adhuc colligere potui) se ostenderunt, ut credam plane S<sup>tis</sup> V. exemplum sicuti et Urbis praecepta illis non parum profuisse, et nihil videntur post Deum magis facere quam S. V. benevolentiam nec possunt sicuti et Maximilianus per litteras satis praedicare singularem iam dictam S<sup>tis</sup> V. ac paternam benignitatem et vere paternum animum, quod et tantum effecit, ut S<sup>tis</sup> V. memoriam semper in pectore et ore habeant, quod ego idem faciam et facio, cum et mihi ipsi hoc accidisse intelligam. Gaudeo vehementer illos S<sup>tis</sup> V. satisfacisse, uti in suis litteris insinuat; faciam, quod possum, ut S<sup>tas</sup> V. illos aliquando videat ad religionis et ecclesiae servitia aptos, quod tamen eo citius fiet, quo S. V. eos semper habuerit chariores. Rogo itaque S<sup>tem</sup> V. humillime, ut his tribus meis filiis aliquando benedicat, eosque semper habeat commendatissimos. Ago S<sup>ti</sup> V. (62 v) humillimas gratias, quod per suam iustam sententiam pro Ferdinando expeditiv coadiutoriam Berchtesgadensis praepositurae, cuius ille debitam accepit iam possessionem, plane confidens bonum fuisse opus et Deo gratum ecclesiaeque huic utile. Obligavit S. V.



hac gratia me et filium summopere; pertinet tamen adhuc ad ejus rei profectionem plena determinatio litis cum archiepiscopo Salisburgensi super monasterii exemptione, et credat mihi S<sup>tas</sup> V., quod nec ipsa nec ego nomine filii mei habebimus veram quietem nisi S<sup>tas</sup> V., quod iustum est, debito modo declaret et publicet. Supplico igitur S. V. iterum atque iterum perquam humillime, ne sententiam in eo puncto diutius differat, sed quod in eius summo intellectu et purissima conscientia et ex unanimi consensu totius Rotae recte iudicatum fuit, executioni mandari servarique iubeat; id (69<sup>r</sup>) mihi erit iucundissimum et omnibus iustitiam amantes gratissimum. Deus S<sup>tem</sup> V. diutissime servet incolumem, cuius benevolentiae me perquam humillime commendo. Non poterat S<sup>tas</sup> V. mihi munus magis gratum mittere, siquidem suo devotissimo filio et servo volebat, quam effigiem sanctissimae crucis una cum tam praeclaris reliquiis. Velim id ullo modo posse compensare. Interea Deus sit remunerator tantorum beneficiorum, quem perpetuo orabo pro S. V. incolumitate. Monachii, 18. Iunii anno 1593.

S<sup>tas</sup> V.

obsequentissimus filius  
et servus addictissimus  
Guilhelmus.

8 (46). *Hzg. Wilhelm an (Kardinal) C. Aldobrandino: Nach dem Bericht der Prinzen und Speers ist Bayern dem Kardinal besonders im Berchtesgadener Streit zu Dank verpflichtet. Stand dieser Frage; Ansinnen, den ganzen Handel zum Ende zu bringen. München, Juni 18, 1593.*

Ebd. f. 63 Original (eigh.).

Ill<sup>me</sup> etc. Mira mihi refferunt filii de I. D. V. in me et illos charitate et amantissimis officiis nec cessat idem facere Sperius, praecipue cum incidit mentio de causa Berchtesgadensi, in qua superflue perspexi I. D. V. tantum fecisse, quantum forte a nullo alio expectare potui. Agnosco et profiteor me propter illum tam syncerum amorem, fidem, labores et mille incommoda I. D. V. verissime devinctum esse. Erit <sup>a)</sup> inter me meosque filios et I. D. V. perpetua amicitia ex animo colenda. Sciat quoque I. D. V. coadiutoriam iam esse publicatam, et filio per procuratorem possessio data et etiam intimata archiepiscopo est. Et sunt omnia tranquille et paccate transacta, excepto quod notarius nondum rediit, quem tamen singulis horis expecto. Requiritur tamen ad veram quietem publica et solemnitas publicatio exemptionis monasterii. Oramus igitur I. D. V. ego et filius, ut hanc nobis plane procuret et sic seipsum et nos tandem a longiori molestia liberet; nam longior mora et mihi et filio intollerabilis esset. Puto etiam S. S. multum interesse propter multa expedita iam coadiutoria, uti I. D. V.

a) Cod.: erat.



facile intelligit. Amet me amore solito, et plane credat se a me vicissim verissime amari. Valeat. Monachii, 18. Iunii anno 1593.

I. D. V.

addictissimus  
Guilhelmus.

9 (47). *Vertrag zwischen Bayern und Salzburg, durch Vermittlung des Nuntius Cesare Spetiano, vom 16. August 1593.*

Ebd. f. 74 Kopie.

Nos infrascripti Wolphangus Theodoricus, archiepiscopus Salisburgensis, et Guilhelmus, comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariae dux, per praesentes hasce literas manu nostra propria subscriptas et sigillo utriusque munitas S<sup>mo</sup> D. N. Clementi divina providentia papae VIII. ita instante R<sup>mo</sup> domino Caesare Speciano, episcopo Cremonensi, ac praelibati S<sup>mi</sup> D. N. papae et sanctae sedis apostolicae apud Caes. M<sup>em</sup> cum potestate legati de latere nuncio et ab eodem S<sup>mo</sup> D. N. ad infrascriptas controversias decidendas et definiendas specialiter delegato, promittimus, quod occasione et causa quarumlibet controversiarum, causarum et litium, quae vel iam inter nos ortae sunt vel in futurum tam in negotio ecclesiae Salisburgensis et praepositurae Berchtesgadensis quam alias quomodolibet praedictarum ecclesiarum et earum iurium occasione suboriri contingat, vicinitatis concordiam, pacem et amicitiam nunquam violabimus, sed potius mutuam inter nos benevolentiam et amorem, quoad eius fieri poterit, servabimus necnon ab omni prorsus violentia et armorum vi tam invicem quam contra praepositum Berchtesgadensem abstinebimus nec quicquam de facto sive per nostras sive per submissas personas tam directe quam indirecte quovis quaesito colore attentabimus, excepto tamen legitimae defensionis et inculpatae tutelae moderamine, quo nobis et nostrum cuilibet ab altera parte (74 v) minus debite (quod absit) lacessitis vim vi repellere et iura nostra tueri liceat, imo omnino curaturos, ut controversia haec omnis aut per conventionem, transactionem, concordiam et pacta vel per arbitros, arbitratores, compositores, partium confidentes aut per proprios nostros consiliarios sive commissarios ad certum locum utrique parti commodum transmittendos, quamprimum fieri poterit, sive alia iuris via. pacifice tamen et quiete, dirimatur. In quorum fidem *etc.* Dat. *etc.* die 16. Augusti 1593.

C. episcopus Cremonensis, nuntius et commissarius apostolicus.

In fidem praemissorum subscripsi. Ego Guilhelmus, Bavariae dux.

Locus † sigilli parvi.

Ego Wolf Teodoricus promitto me p[rae]dic]ta omnia firmiter observaturum, ac in huius promissionis signum praesentes propria manu subscripsi ac meo sigillo munivi.

W. Teodoricus, archiepiscopus Salisburgensis

Locus † sigilli parvi.



10 (48). H<sub>z</sub>g. Wilhelm an Papst Klemens VIII.: Der Nuntius kam zur Beilegung des Berchtesgadener Streites nach München. Der Friede scheint gesichert, nachdem die Koadjutorie verliehen, die Exemption von der Rota entschieden worden ist und der Erzbischof sich gegen Erwarten zufrieden gab. Es wurde eine vertragsmässige Vereinbarung getroffen etc. Dank sowohl dem Nuntius als dem Papst! Bitte, Berchtesgaden exempt zu erklären. München, August 18, 1593.

Ebd. f. 81f. Original.

Beatissime pater etc. Venit ad me ante paucos dies S<sup>tis</sup> V. nuntius apud Caes. M<sup>tem</sup>, R<sup>mus</sup> episcopus Cremonensis, et cum mihi S<sup>tis</sup> V. Breve reddidisset, quod ego quidem cum summa reverentia accepi, omnia diligenter admodum proposuit mihi, si quid necesse erat, persuadere conatus est, per quae inter R<sup>mm</sup> archiepiscopum Salisburgensem et me cum meo filio, coadiutore Bertesgadensi, ipsoque illo praeposito solida veraque amicitia constitui et conservari posset. Qua in re summopere ego quidem colo S<sup>tis</sup> V. paternam sollicitudinem de mutua benevolentia inter Romani imperii principes deque omnium nostrum privata tranquillitate. Certe tamen doleo, quod S<sup>tas</sup> V. inter graviores christianae reipublicae curas nostris hisce, quaecunque illae sint, molestetur rebus. Videntur vero iam omnia optimo loco esse posita. Cum enim S<sup>tas</sup> V. filii coadiutoriam expediri mandasset ecclesiaeque Bertesgadensis exemptio in Rota fuisset decisa, archiepiscopus S<sup>tis</sup> V. auctoritati ipsique iustitiae et magno Urbis tribunali multo facilius, quam aliqui forte arbitrati fuerant, et merito acquievit. Quod vero S<sup>tas</sup> V. existimaverat ob confinia et iura Salisburgensis ecclesiae et praepositurae Bertesgadensis controversias oriri posse, aliqua sane sunt, quae litem minantur, sed non sunt illa adhuc tam expedita aut matura, ut (81 v) intra brevissimum tempus lis illa movenda videatur. Et etsi optandum erat, ut, de quibus postea disceptandum erit, ea hoc potissimum tempore ad maiorem animorum confirmationem eorundemque ab opinione etiam litium liberationem praeciderentur planeque tollerentur, cum ego tamen, cui filii loco magna oneris pars incumberet mihi ministri de iis rebus nil omnino informati essemus ac ad sufficientem informationem inspectio locorum, auditio multorum testium et hominum aliorum, tot privilegiorum, pactorum, iurium et scripturarum lectio pluraque huiusmodi requirerentur, ut taceam nonnulla alia: mihi sane impossibile fuit, ut nunc lites illae, nisi dominus nuntius aliquot hebdomadas et forte menses in his partibus manere potuisset, componerentur. Assecutus vero videtur idem nuntius S<sup>tis</sup> V. finem, qui nimirum erat, ne duae hae ecclesiae ex his litibus detrimentum paterentur, alia ratione apposite omnino et foeliciter. Cum enim effecisset, ut archiepiscopus et ego mutuam per literas propriis manibus scriptas invicem deferremus et sponderemus amicitiam, eorum adegit, ut ambo per publicum promiserimus scriptum omnes



controversias, quae (82<sup>r</sup>) ratione praepositurae Bertesgadensis sint aut esse possint, sine armis, sine strepitu planeque, uti inter amicos consuevit, determinandas esse. Quod cum permagni sit momenti ad firmam concordiam et pacem, ipsius domini nuntii dexteritati et prudentiae non parum omnes debemus, quorum aliquid hic interest. Multo plus vero debemus S<sup>ti</sup> V., quae virum ad has res tam idoneum huc miserit. Videtur iam hoc unum restare, ut S<sup>tas</sup> V. ecclesiae Bertesgadensis privilegia super exemptione in solita et meliori forma confirmet, quod quidem humillime filii mei et praepositi ipsius monasterii nomine oro et obtestor. Commendo et subicio S<sup>ti</sup> V. me meaque omnia ex devotissimo animo. Datum in civitate mea Monachio, die 18. Augusti anno 1593.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus filius et servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

11 (49). *Hzg. Wilhelm an (Kardinal) C. Aldobrandino: Der Herzog sucht um alsbaldige Konfirmation der Exemption der Propstei Berchtesgaden nach. Sie fehlt noch zur Erhaltung der eben zwischen Bayern und Salzburg durch Vermittlung des Nuntius geschlossenen Freundschaft, schon um Zufälligkeiten und Intrigen vorzubeugen. München, August 20, 1593.*

Ebd. f. 85 Original.

Ill<sup>me</sup> etc. Liberata nunc erit Ill<sup>ma</sup> D. V. magnis illis molestiis, quas in causa Berchtesgadensi nobiscum tamdiu habuit, si S<sup>mus</sup> D. N. exemptionis confirmationem in solita forma expediri mandat. Nuntius enim apostolicus R<sup>mus</sup> D. episcopus Cremonensis, ut Ill<sup>ma</sup> D. V. sine dubio prolixè intelliget ex eius literis, id effecit, ut D. archiepiscopus et nos simus amici. Et sane ipsa haec tempora resque archiepiscopi per se tuto pollicentur, nil omnino aut periculi aut scandali aut minimae etiam novae dissensionis animorum metuendum esse (quod antea istic putabatur), si confirmatio illa sine ulla alia dilatione concedatur. Ac interest vero plurimum monasterii illius et nostri filii, ut id penitus fiat. Alias enim semper habebit inquietus aliquis occasionem res novas machinandi. Scimus, quantum debeamus Ill<sup>mae</sup> D. V. ob hanc totam causam, maximum scilicet aliquid et pene infinitum; sed habebunt omnia tunc demum plenam perfectionem, si hoc unum adhuc detur, quod nullam amplius debet pati difficultatem aut ambiguitatem. Aliquid adhuc forte obiciet aliquorum invidia aut avaritia, sed id facile destruet Ill<sup>mae</sup> D. V. virtus, et unus solus S<sup>tis</sup> S. nutus, contra quem nemo ne hiscere quidem volet. Et certe videntur antea multa Romae facta esse, quae archiepiscopus (85<sup>v</sup>) non mandaverit et forte nec approbaverit, multa etiam videntur facta casu et per modum temptationis, si forte sors aliquid velit, non quod vere crederetur sic futu-



rum aut sic fieri debere. Cavendum igitur, ne unius aut alterius cerebri pertinacia aut vanitas diuturniores nobis omnibus pariat molestias et fastidia. Iterum igitur commendamus Ill<sup>mae</sup> D. V. rem hanc, prout sane omnia alia filiorum nostrorum nostraque propria negocia. Deus illam diutissime conservet incolumem; quam nos vere cum observantia diligimus et maximi facimus. Datum in civitate nostra Monachio, die 20. Augusti anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

addictissimus

Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmus (mppr.).

U. Sperijs.

12 (50). *Derselbe an Papst Klemens VIII.: Freude über die Verleihung der Hildesheimer Propstei an Quirino Leonino; Gesuch, ihn von der auferlegten Pension zu befreien auf Grund Rechtens und der Verhältnisse der Hildesheimer Kirche im vorliegenden Fall. Isereck, September 1, 1593.*

Ebd. f. 92 f. Original.

Beatissime pater etc. Valde obligavit me S<sup>tas</sup> V. sibi antea obligatissimum, quod filiorum meorum theologo et moderatori Quirino Leonino praeposituram Hildesheimensem contulit. Est enim vir plane aptus ad functionem illam circa filios, diligens et fidelis ac sane etiam eruditus ideoque mihi carissimus. Unum tamen huius gratiae magnitudini non parum detrahit, quod ex ea praepositura pensionem dare Quirinus debeat. Et non solent vero, beatissime pater, nisi rarissime et in locis valde commodis Germanica beneficia et dignitates pensionibus gravari. In aliquibus ecclesiis dicitur hoc esse privilegium; consuetudo certe communis et firma omnium opinio est. Rationes ego non narro, recitantur tamen aliquae satis graves. Quod plus est, in plerisque capitulis (de rei aequitate non iudico, et meum non est) per statuta sancitum est debentque, qui ad capitula accedunt, super observatione iurare, ne pensionibus locus detur. Hoc si etiam, quod sane esse potest, Hildesheimii est. magnae perturbationes ex re tam parva et tempore per se tam turbulento oriri possent. Si enim Quirinus S<sup>tas</sup> V. nutui (quod deberet) obsequi mallet quam huiusmodi statutis, fieri posset, ut dux Brunsvicensis haereticus, in cuius ditione pleraque bona et redditus huius praepositurae sunt, capitulum aut aliquam eius partem sub praetextu (92<sup>v</sup>) defensionis statutorum eius ad se pertraheret, et ut pactum contra Quirinum et reipsa contra istam S. sedem iniretur, ut quisvis potius praeposituram habere deberet quam provisus apostolicus, paulo post vero Brunsvicensis praeposituram ipsam aut saltem meliorem partem vindicaret sibi. Haec est illarum partium



infoelicitas, et quis vero meliora ibi speret? Si de episcopatu Hildeshemensi plurimum habet retinetque dux ille frustra iam diu litigante et omnia movente fratre meo electore, de minima praepositura quid non metuendum? Idque eo sane magis, quod is, cui pensio concessa est, hussita fuisse dicitur. Pietatem et bonitatem operis ego agnosco et laudo, sed certe vererem, ne homines illi ex nomine solum occasionem sibi sumerent consilia desideriaque sua prosequendi tenendique mordicus aut intrudendi aliquem haeticum vel catholicum quidem, contra tamen hanc voluntatem S<sup>tis</sup> V. Si praepositura haec in ditione catholica esset, omnia essent faciliora. Et est vero illa etiam tam exilis, ut mihi quidem relatum est, ut pensio illa, si reliqua quoque ponderentur onera, vix dari posset. Ut dixi, fere omnia eius bona et proventus sub dominio illius principis haetici, ex quo facile est intelligere, quantis omnia sint exposita gravaminibus et vexationibus, quantosque (93<sup>r</sup>) possessorem, si, ut debet, praepositurae iura tueri et conservare velit, sumptus facere oporteat. Nolo S<sup>ti</sup> V. esse molestus; possent multa scribi de hac re S<sup>ti</sup> V. non tam pro benevolentia mea erga Quirinum meum quam pro meo devotissimo obsequio erga ipsam et sedem apostolicam, cuius iura ego caeteroquin, si quisquam alius, tutari cupio. Humillime supplico, ut Quirinum pensione hac liberet eique praeposituram sine onere Romano det. Erit bene alia commoditas Bohemo illi aliquid, quod certe ei valde cupio, prospiciendi. Mihi, ut in principio insinuavi, vere gratissimum est, quicquid Quirino optime merito gratiae fit et beneficii a S<sup>te</sup> V.; quam Deus ecclesiae suae nobisque omnibus diutissime conservet incolumem et florentem. Datum in castro meo Iserech, die 1. Septembris anno 1593.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus

Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

13 (51). *Hzg. Wilhelm an (Kardinal) C. Aldobrandino: Unter Anerkennung seiner Verdienste um Bayern wird der Adressat ersucht, zur Uebertragung der Propstei Hildesheim ohne finanzielle Schmälerung an Leonino behilflich zu sein. Der Herzog macht sich eine Angelegenheit daraus. Isereck, September 2, 1593.*

Ebd. f. 90 Original.

Ill<sup>me</sup> etc. Debemus sine dubio Ill<sup>mae</sup> Dni V., quod S<sup>mus</sup> D. N. post beneficia in Meternichium et alterum illum canonicum Spirensē ac in Spermum collata iam etiam Quirino Leonino, filiorum nostrorum theologo, aliquid contulit, praeposituram videlicet Hildesheimensem, honestam quidem, ut audivimus, nec plane inopem. Verum petitur (ut fit, cum aliquid datur) unum totum et integrum. Est nimirum praepositurae imposita pensio; hac velimus Quirinum liberari. Et scribimus



ea de re S<sup>ti</sup> S., uti Ill<sup>ma</sup> D. V. procul dubio literas videbit. Rogamus Ill<sup>mam</sup> D. V., ut nostrum hoc desiderium autoritate et patrocinio suo adiuvet. Vere interest publice. Germania enim pensionum solutiones ignorat et refutat, et possent ex huiusmodi novitatibus, si praesertim in locis tam incommodis fiant, magna oriri scandala, prout paulo fusions est in literis ad pontificem maximum; nostra tamen etiam privatim interest, ut Quirino in hoc satisfiat. Est enim ille, ut Ill<sup>ma</sup> D. V. forte vidit vel audivit, valde optatus et aptus ad officium, quo fungitur apud nostros filios fillique eum summopere diligunt et obsequuntur. At videbatur ipse paulatim cogitare de discessu, ni sibi (est nimirum quisque de se sollicitus) paulo commodius prospiceretur. Iam vero si praeposituram hanc nostro praesidio et comendatione integram habeat, cogitationes illas penitus abiciet peneque in aeternum se filiorum (90<sup>v</sup>) nostrorum obsequio dedicabit. Videt Ill<sup>ma</sup> D. V., quid sit. Quae si filiis eorumque educationi cupit, quantum semper est solita, quantumque factis ostendit, tantum elaboret, ut pensione hac Quirinus levetur. Erit id nobis vere gratum et obligavit Ill<sup>ma</sup> D. V. optimum virum ac pleraque per Germaniam capitula, quae molestissime ferrent sua sic infringi statuta aut privilegia. Caeterum amet nos Ill<sup>ma</sup> D. V., quantum certe amatur a nobis, et valeat foeliciter. Datum in palatio nostro Iserech, die 2. Septembris anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>nis</sup> V.

addictissimus

Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmus (mppr.).  
U. Sperius.

14 (52). Hzg. Wilhelm an Papst Klemens VIII.: Der Herzog wirbt mit ausführlicher Motivierung für den Bischof von Triest, den langjährigen Erzieher Ferdinands von Graz, um die päpstliche Dispens zur weiteren Ausübung seines Erzieheramtes. Reichenberg, September 15, 1593.

Ebd. f. 166 f. Original.

Beatissime pater etc. Fuit per multos annos apud Ferdinandum iuniorem, archiducem Austriae, Iohannes Bogenring theologus. Qui cum totam hanc illius principis aetatem atque actiones prudenter et foeliciter moderaretur, ante annum vero aut amplius ad episcopatum Tergestinum electus esset, S<sup>tas</sup> V. cum eo dispensavit, ut apud principem hunc manere a suaque illa ecclesia (certis tamen conditionibus) abesse possit, quamdiu princeps in Ingolstadiensi mea universitate moretur. Hoc ille facit quidem et potest esse, ut archidux satis diu adhuc Ingolstadii maneat. Est hoc tamen valde incertum, certum istud est, quod episcopus ille huic principi valde utilis est planeque ne-



cessarius. Novit nimirum omnium optime eius ingenium, inclinationes et totam naturam et tam dextre eum amanterque dirigit, ut princeps ipsi libentissime obsequatur. Si ab illo discedat, adhuc nescitur, quis ei substitui possit. Sit vero sane vir aliquis aequae prudens et probus atque ipse est; priusquam ingenium suum ingenio principis accomodet et ab eo, cum aliquo quasi timore ametur, multum posset negligi et perdi. Proceres et varia aulicorum assentatorumque genera hominem novum in officio conarentur principi forte sub nomine paedagogi invisum reddere eiusque consilia spernerent, (166<sup>v</sup>) forte etiam ad principes aures omnino non admitterent. Episcopus iste iam diu quasi possidet principem, ac non facile audebit ipsi aliquis propter hoc et propter dignitatem locumque, quem in provinciis illis obtinet, contradicere. Accedit, quod cancellarius eius frater est; cum quo iudicia sua communicare et coniungere poterit ad magnum Domini et subditorum utilitatem. Itaque supplico S<sup>ti</sup> V., ut episcopo huic facultatem det, imo etiam mandet, ut archiducem non deserat, donec adultus hic sit et vir, sive Ingolstadii habitet sive in ditione sua, et plane etiam cum ipsemet ad gubernationem accesserit. Avunculus sum et tutor et didici iam ex conversatione ac rationibus aliquot annorum, quibus Ferdinandus in mea provincia et crebro in aula mea est, quanti referat, ut episcopum quam diutissime secum habeat, optimus scilicet princeps moderatorem virum optimum. Cogitaveram hanc petitionem differre, dum venisset tempus, quo prior haec dispensatio amplius non valeret. Sed veritus sum, ne, si princeps aliquando improviso forte Ingolstadio abeat, episcopus eum prius deserat, quam dispensatio expediatur, existimans sic se religione et conscientia teneri, aut ne aliqui sint, qui, praetextu finitae dispensationis, cito unum alium intrudant aut principem plane liberum esse debere statuunt. Etsi enim credendum est Imperatorem reliquosque (167<sup>r</sup>) Austriacos sedulo cogituros, quid expediatur; hoc tamen certe erit tutissimum. Et potest sibi S<sup>tas</sup> V. persuadere se hunc archiducem illosque populos, quorum salus ex eius recta educatione dependet, et pene totam christianam rempublicam, quae virtutibus Ferdinandi aliquando inniti poterit, maximo beneficio afficere, si per sedis apostolicae gratiam episcopus Tergestinus locum hunc quam diutissime retineat. Erunt bene media, ne ecclesia interim detrimentum patiatur, prout ipsemet episcopus saepius eam visitabit. Deus S<sup>tem</sup> V. ad multos annos incolumem conservet, cui me meosque et Ferdinandum hunc quam humillime commendo et subicio. Datum Reichenbergae die 15. Septembris anno 1593.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus

Guilhelmus Bavariae dux (mppr.).



15 (53). *Derselbe an denselben: Der Papst wird zur Promotion seiner Nepoten zum Kardinalat beglückwünscht. Einer soll zum deutschen Reichstag entsandt werden. München, September 30, 1593.*<sup>1)</sup>

Ebd. f. 98 Original (eigh.)

Beatissime pater *etc.* Non habui laetio rem nuntium ex Urbe ab eo tempore, quo S. V. ad hanc supremam et foelicem dignitatem fuit vocata, quam nunc, cum audivi S. V. Ill<sup>mos</sup> suos nepotes creasse cardinales. Erit hoc non dubito christianae reipublicae absque dubio utilissimum; maiores enim isti magni viri iam habebunt occasiones bene merendi. Mihi vero hoc ornatum in proprio fratre vel filio (etsi meas considerationes non haberem) gratius esse non posset, et ideo non minus hanc creationem interpretor, ut me ipsum vel meos singulari aliquo officio vel potius beneficio affectos esse existimem. Fateor <sup>a)</sup> S. V. laudatam fuisse a quibusdam, quod Ill<sup>mos</sup> suos nepotes non primo statim die traheret ad summos honores, sed maior certe laus erit illi apud omnes bonos, quod hoc diutius non distulerit. Gratulabor igitur vere et ex animo S. V., quod tales nepotes habet, qui (98<sup>v</sup>) virtutum suarum magnitudine universas impleverint provincias. Restat, ut S. V. alterum ad imperialia mittat comitia, ut sic afflictis hisce rebus magnum adferat adiumentum. Faciet vero S. V. absque dubio bene et sapienter, si fecerit. Commendo me S. V. cum omni humilitate. Datae Monachii 30. Septemb. anno 1593.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus et devotissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux *etc.*

a) *Cod.*: Faterer.

<sup>1)</sup> Ebd. f. 97, Original (eigh.), steht das Gratulationsschreiben an Kardinal C. Aldobrandino mit folgendem Wortlaut:

Ill<sup>me</sup> *etc.* Si potuissem hactenus demonstrare meum integerrimum amorem et summam affectionem erga I. D. V., iam ultro ipsi occurreret, quantum senserim gaudium ex ipsius promotione ad cardinalatum. Credat mihi hoc I. D. V., quod hoc mihi vere tam gratum tamque charum audire fuit, ac si unius ex meis filiis vel fratribus maxima aliqua dignitate affectus fuisset. Deus hoc ornamentum suum fortunet, et sicut I. D. V. iam in eo statu est, ubi, quamdiu vixerit, de me et meis (quod hactenus cumulatissime fecit) bene mereri poterit, sic ex animo velim I. D. V. posthac in pluribus rebus servire posse. Ad hoc vero praestandum desiderium certe crescere vix magis potest, cum iam sit adeo magnum et singulare; unum mihi adhuc opto ex animo de I. D. V., videlicet ut eam brevi videam et praesens fideliter inserviam, et habeo certe de hoc magnam spem. Commendo I. D. V. me et meos filios omniaque mea, et valeat nobis diu et foelicissime. Monachii 30. Septembris anno 1593.

Ill<sup>mae</sup> D. V.

addictissimus semper  
Guilhelmus.



16 (54). *Derselbe an denselben: Auf die Vorstellung des Papstes hin schrieb der Herzog nach Graz, dem Grafen v. Thurn die Teilnahme am Regiment zu entziehen. Lob des jungen Ferdinand von Graz. München, Oktober 27, 1593.*

Ebd. f. 107 Original.

Beatissime pater etc. Valde pia et prudens sollicitudo est, qua tenetur S<sup>tas</sup> V., ne Ambrosius comes de Turri ad res Styriacas et partem illius administrationis admittatur, quae archiduci Maximiliano incumbit. Novi ego hominis ingenium et mores ac saepe antehac egicum sorore mea archiducissa, ut illum a se illaque aula arcendum curaret, quod equidem assecutus mihi videbar. Verum accepto iam S<sup>ti</sup> V. Brevi priora statim repetii officia et propria manu graviterque scriptis literis hortatus sum sororem, ne, si ullo modo possit, comitem illum ad res gubernandas adhiberi sinat. Quid obtineam, S<sup>tem</sup> V. propediem faciam certiozem; non dubito de sorore, si res in ipsius sit potestate. Faciet S<sup>tas</sup> V. rem se dignam Deoque sine dubio gratissimam, si provincias illas paternis sic aliquando pietatis suae oculis respexerit. Ferdinandus archidux, pupillus, egregiam sane de se spem dat; ego ipsum filii loco crebroque mecum habeo. Commendo et subicio me S<sup>ti</sup> V. humillime. Datum in civitate mea Monachio die 27. Octobris anno 1593.

S<sup>ti</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus

Guilhelmus, Bavariae dux.

(Schluß folgt.)